



LEBEN
o
9




~~B. 2. 1772~~

1) L. R.

2) Hesselheim

3) Gratianus (2)

4) Theridion



[Simoneon Rütinck]

[Frankfurt a. M.]

Harmonia

Synodorum Belgicarum,

SIVE

CANONES

ECCLESIASTICI,

EX QVATVOR SYNO-

dis Nationalibus in Belgio

à reformatione cele-

bratis,

BREVITER IN ORDI-

nem digesti,

Per

S. R.

Do (?) Do



PRODEVNT,

Sumptibus Hulfianis.

ANNO M. DC. XVIII.

*Nationales Belgicarum
Ecclesiarum Synodi
fuere celebratae*

Emdæ. Anno 1571.

Dordraci. Anno 1578.

Middelburgi Anno 1581.

Hagæ Anno 1586.




3
✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠
OMNIBVS FIDIS
CHRISTI SERVIS, AD-
E OQUE VERE SANCTIFI-
catis fidelibus omnibus, Gra-
tiam & Pacem,

A

DEO PATRE, IN CHRI-
STO FILIO, PER SP.

S. precatur

S. R.

 *Ravis orta est nuper* Contro-
in Ecclesiis Belgicis re-
uersa
orta in
Belgio.
*formatis, circa Prae-
destinationis mysteri-
um, & alios nonnullos Christianae
Doctrinae Articulos συζητησας. Sunt
qui huic igni scriptis suis, & sermo-
nibus nimis aculeatis, oleum ex eo
tempore adfuderunt: adeo ut Eccle-
siae, nostra memoria, fraterna con-
cordia florentissima, contradictio-*

A 2

NUM

num Bello misere iam vastentur. Multi ex sancta *συμπλοκή* & commiseratione debita, literis suis ab Ordinibus Illustrissimis postularunt, ut res tota cum circumstantiis in legitima Synodo discuteretur: Ita enim Antiochena fuit composita *σύνθεσις*: nec alia ratione deplorandam hanc calamitatem restitui commode posse, iudicant prudentiores. Sanctum autem hoc postulatum ab eis imprimis videtur retardatum habentibus, qui uni Nazianzeni dicto tantum tribuunt, ut priscorum aliorum sententias, Ecclesiae primitivae exempla, & maiorum nostrorum experientiam negligere, ne dicam contempnere videantur.

Probat-
tur ex-
emplis.

Norunt omnes in Antiquitatis lectione exercitati, quanta fuerit, Nicenae Synodi contra Arium, & Constantinopolitanae contra Macedonii

P R A E F A T I O. 5

donii dogmata uilitas. Nouimus nos, quid ad *εὐλαξίαν* & sana doctrina conseruationem praestiterint Ecclesiarum reformatarum in Gallia, Concilia Nationalia. Celebre imprimis est illud Rupellanum, anno ^{Synodum Ru-} ^{pellana} ^{Anno} ^{1571.} *Millesimo Quingentesimo septuagesimo primo celebratum*, Theodoro Beza theologo eximio Moderatore; praesentibus Ioanna D. G. Nauarra Regina, Illustrissimis Principibus Henrico Nauarra Principe, Henrico Condensi Principe, Ludouico Nassouia, & Casparo Colignai Comitibus, aliisque nabilibus, generosis & spectatis uiris.

Quanta soliditate & grauitate uilitas hereses & blasphemias, Gentilis, ^{multi-} ^{plex.} *Dauidis, Blanderatii, eorumque sectatorum, contra Deitatem & Humanitatem Seruatoris nostri prolatas*

A 3 &

Et editas confutavit Concilium: ad-
dita cautela, ut fideles omnes vel à
lectione librorum eorum sibi caue-
rent.

Quanta cura & prudentia Re-
gnum integrum in Prouincias diui-
sit, & Synodorum celebrandarum
praescripsit regulas! Quam sanctos
& utiles concepit Canones ad diui-
ni cultus restitutionem, Pietatis ex-
citationem, vitiorum extirpationem
& inculpatam in domo Dei,
& inter profanas Idololatrias con-
uersationem!

Hac autem Concilia frequenter
iterata, quantum Regno Christi de-
derunt in Gallia incrementum? &
quantam sibi acquisuerunt glori-
am Ecclesiae illa ex conseruata Reli-
gionis sinceritate & fraterna con-
cordia!

Imda-

Hoc ipso anno Ecclesia Belgica in
me-

mediis persecutionum fluctibus pri-
mam Synodum Nationalem cele-
brarunt Embda in Frisia Orientali. 1571.

na Syn-
odus
Anno

Quid vero in ea & tribus reliquis
sit decretum: sequentes exponunt
pagina. Qua autem prudentia &
pietate viri vere sanctificati hoc ex-
cellens opus sint aggressi, verbis hi-
sce significarunt.

Publice coram Deo & homini-
bus testatum volunt, qui his colli-
gendis operam dederunt ministri,
nullo aliarum Ecclesiarum praejudi-
cio id à se factum esse: Sed tantum
habuisse rationem temporis, locorū,
personarum & ceterarum circum-
stantiarum, quid Ecclesiis Belgicis
conducat, vel non conducat, summa
cura ac diligentia (implorato prius
diuino auxilio) exquisuerunt: Et
ita rem temperarunt, ut si contin-
gat Dominum nostrū Iesum Chri-

Prudentia
&
Pietate
testifi-
catio.

„stum vberiore gratia sua fructum
 „Belgio posthac aliquando concedere,
 „tam quod ad Magistratus piam re-
 „formationē atinet, quā quod ad Ec-
 „clesiæ prouentum spectat, hæc ipsa
 „capita latius extendere, & pro re &
 „tempore vel augere vel minuere, vel
 „quæ videbuntur immutare liceat.

Per lito-
 ras com-
 muni-
 catio.

Monebantur à Synodo omnes
 Ecclesiarum pastores, ut mutuis in-
 ter se literis crebro significarent, ea-
 que ad omnium Ecclesiarum in ge-
 nere, & quarundam in specie con-
 seruationem & incrementum per-
 tinere viderentur. Imprimis autem
 ut designarent hæreticos, schisma-
 ticos, mercenarios, & alios eius ge-
 neris exitiosos homines, ut sibi ab il-
 lis Ecclesiæ tempestiue cauerent.

In Clas-
 ses di-
 stribu-
 tio, &

Præterea Synodus in Classes &
 Prouincias distinguebat Ecclesias,
 easque monebat serio, ut frequen-

ter

ter in timore Dei convenirent: Con-
 silio & Opera se inuicem iuuarent,
 in propositionibus Theologicis pro-
 uectiores in veritatis cognitione ex-
 ercerent, diligentem pauperum ac
 scholarum curam gererent: Contro-
 uersis maxime necessariis proposi-
 tis se mutuo erudirent: Passim ad
 tempus Lectores Seniores & Diaco-
 nos ad Ecclesiae collectionem designa-
 rent, donec idoneos verbi ministros
 & operarios fidos in messem suam
 protruderet Dominus.

fidam ad-
 moni-
 tio.

Denique ad testandam cum Ec-
 clesiis nonnullis Germanicis & Gal-
 licis reformatis omnibus, in fide
 communionem, Catechesin Heydel-
 bergensem recipiebat, & Ecclesia-
 rum Gallicarum confessioni subscri-
 ptionem candidam & fraterne offere-
 bat. Intererat sacro huic Conuentui
 (inter reliquos eximios viros Politi-

In fide
 cum a-
 liis Ec-
 clesiis
 refor-
 matis
 commu-
 nio.

A 5. (cos))

Historia *cos)* Philippus ille Marnixius, San-
Ecclē- *sta-* Aldegunda Dominus, Belgij
sastica *sta-* decus, qui à Synodo rogabatur, ut
conscri- rerum in Belgio recenter gestarum
ptio. conscriberet Historiam: ac præcipue
 earum, quæ ad Ecclesiarum instaur-
 rationem & persecutionem, Idolo-
 rum deiectionem, Martyrum con-
 stantiam & horrenda Dei in perse-
 cutores iudicia pertinerent.

Dordra *Secunda Synodus Belgica Natio-*
gena Sy- *nabis habita fuit Drodraci in Hol-*
nodus *landia anno 1578. rebus Politicis*
Anno *nonnihil iam compositis, & perse-*
 1578. *cutionum procellis sedatis per Gar-*
dauensem Pacificationem. Huius con-
uentui præerat Petrus Dathenus
Illustrissimo Electori Casimiro ali-
quando à Sacris; qui in causa Dei
multa fecit tulitque. Commenda-
batur illi nec non Clarissimo & No-
bilissimo Marnixio in linguis Sacris

&

Et sua exercitatissimo, Bibliorum Bibliorum re-
Sacrorum in sermonem Belgicum uissio.
translatorum reuissio: Ioanni Cubo Marty-
Martyrologij Belgici amplificatio: rologii
Arnoldo Cornelio Harmonia Eu- amplifi-
angelistarum versio: Ioanni Gero- catio.
bulo Chronici Carionis translatio, Vario-
Et alijs viris doctis suum quasi di- rum li-
stribuebatur pensum, ad gloriam brorum
Dei, Et Ecclesiae in partibus illis re- transla-
center fundatae adificationem. tio.

In hac Synodo precedentium Ca- Synodi
nonum fiebat reuissio, Et amplifica- confir-
tio: Et à summo Magistratu, Dei matio.
beneficio iam reformato, constituto-
rum Articulorum obtinebatur con-
firmitio.

Rebus in Belgio rursus nonni- Syno-
hil nutantibus, tertia celebrata est dua
Synodus Middelburgi in Zelandia Mid-
anno 1581, ubi communi Ecclesia- delb.
rum suffragio ex precedentium Sy- 1581.
node-

San-
 Belgij
 , ut
 rum
 ipue
 stau-
 dolo-
 con-
 erse-
 tio-
 Hol-
 ticis
 rse-
 an-
 on-
 nus
 ali-
 Dei
 da-
 No-
 ris
 &

Corpus
discipli-
na.

nodorum decretis, Corpus Disciplina fuit constitutum, & à summo Magistratu confirmatum: Quem supplici libello monebat Synodus, ut auctoritate sua decerneret Domini-
Diei do-
minici
sanctifi-
catio.
Syno-
dus Ha-
ge An-
no 1586.
Condē-
natio
Corn-
bertij.

ci diei sanctificationem, sublato
multiplici eius abusu.
Denique anno 1586. Nationalis
Conuentus Haga-Comitis est habi-
tus in aula Hollandica, praeside Iaco-
bo Kimedancio, S. S. Theologia Do-
ctore, Gandavi & Heydelberga ali-
quando Professore: Vbi multa con-
tra Cornbertium, Hermannum
Herbertum & alios spiritus fana-
ticos solide & grauitate fuerunt
transacta, & insuper cautum, ne
quid in confederatis Prouinciis ede-
retur, quod in detrimentum veri-
tatis cedere posset.

Hæc & alia obseruatu digna ad
diuini cultus sanctam conseruatio-

mem:

nē & ευταξία facientia in praedicta
 Synodo fuere conclusa, & ab Adol-
 pho à Meetkerck, & Adriano Van-
 der Mylen Illustrium Ordinum de-
 putatis confirmata: Cui confirma-
 tioni etiam accessit ipsius Nobilissi-
 mi Leycestria Comitum (Serenissima
 Regina Elisabetha nomine Prouin-
 ciarum unitarum Gubernatoris)
 consignatio & ratificatio.

Confir-
 matio à
 Leyce-
 stria
 Comite.


Ex eo autem tempore (contra Praesens
 quam fuerat conclusum) eiusmodi
 in Belgio non fuit celebrata Syno-
 dus: Et hinc (ut multis quidem vi-
 detur) illa lachryma: hinc variis in
 locis neglecta iacet pietas, contemni-
 tur proximus, discordia feruet, ca-
 lumnia mordet, simultates fouen-
 tur; scandala multiplicantur; infir-
 mi offenduntur, virtutes flaccescunt;
 vitia crescunt; atheismus gignitur,
 doctrina depranatur; Ecclesia dissi-
 patur.

Praesens
 tium
 contro-
 uersia-
 rum &
 miseria-
 rum ac-
 commo-
 datio.

Votum. patur. Hæc autem misera cum sit
 quarundam Ecclesiarum facies, ar-
 dentibus ad Deum precibus inste-
 mus, ut sancta & libera Synodo, col-
 lapsa Zionis mania reedificentur,
 eiusque ciues mutua coalescant con-
 cordia. Ut ita viribus redintegra-
 tis & unitis, communi Ecclesie fi-
 deique aduersario (omni extincta
 inuidia, sublatisque scandalis) acri-
 ter sese opponant, & in posterum
 Dei sanctum nomen ab omnibus
 glorificetur, eiusque propage-
 tur salutaris veritas,

Amen.

HAR.


HARMONIA SY-
NODORVM BEL-
GICARVM.



Quatuor potissimum
 Ministerii Ordines in
 Ecclesia sunt, nimi-
 rum, Ministrorum,
 Doctorum, Seniorum
 & Diaconorum.

De Ministris verbi Dei.

Ad verbi ministerium nemo ad-
 mittatur, sine legitima vocatione,
 electione, iustoque examine do-
 ctrinae, vitaeque antea actae. I.

Cauendum sibi est à νεοφύτοις,
 & monachis vel presbyteris à papa-
 tu conuersis, ne admittantur ad S.
 Ministerium, nisi seria & diuturna
 praecesserit exploratio. II.

Vt autem idonei ad hoc munus
 reperiantur viri, hoc agant Eccle-
 siae, vt adolescentes ingenui, & bo-
 nae III.

nae

næ spei in studio Theologico educentur.

IV. Ad electionem Ministri requiruntur sequentia, vt 1. Celebretur ieiunium. 2. Nominetur à presbyterio & Classe. 3. Examinetur ab vtrisque. 4. Sistatur coram Magistratu & tota Ecclesia, vt intra dies quatuordecim tacitis fidelium suffragiis comprobetur. 5. Subscribat Catechismo Heydelbergensi & fidei Confessioni Hispaniarum Regi Anno 1578. exhibitæ. 6. Confirmetur coram Ecclesia cum oratione ad Deum, manuum impositione, (si ita ferat consuetudo) & exhortatione ad populum; postquam ad ista interrogata publice responderit.

I. An se legitime sentiat ad hoc ministerium vocatum.

II. An sola Biblica scripta pro Dei verbo recipiat.

III. An ea fideliter populo prædicare velit, vita inculpata præeundo.

IV. An

IV. An se subiiciat Ecclesiasticæ
disciplinæ.

Qui semel legitime in S. Mini- V.
sterio sunt confirmati, illud dum
viuunt non deserent, nisi legitima
iucidat occasio, de qua iudicium
erit penes Synodum Prouinciona-
lem vel Nationalem.

Nemo ab alia vocatus Ecclesia VI.
ad eam se conferet, nisi cum Eccle-
siæ suæ consensu & Classis appro-
batione.

Eidē Pastoris & Ministri officia VII.
sunt:

1. Verbum Dei cum reuerentia &
simplicitate prædicare.
2. Sacramenta administrare.
3. In Oratione perseuerare.
4. Disciplinam Ecclesiasticam ex-
ercere.
5. Et procurare vt omnia decenter
& ordine peragantur.

Si minister donum habet aliquid VIII.
ad ædificationem conscribendi, il-
lud typis non mandabit, quin pri-

us

us à Classe examinetur & probe-
tur.

- IX. Honesta & iusta merces ministro
danda est.
- X. Si quis Senio vel morbo fiat ad
ministerium inutilis, ab Ecclesia ni-
hilominus alendus est.
- XI. De ministrorum viduis & or-
phanis similiter habenda est ra-
tio.
- XII. Cæcus in ministerio non est con-
firmatus: attamen si confirmatus
sit, non ideo deponendus.
- XIII. Studiosi Theologiæ cum bona
Classis venia, publice quandoque
ad suum exercitium concionari po-
terunt, non tamen Sacramenta ad-
ministrare, donec in ministerio ple-
ne sint confirmati.
- XIV. Nullus minister in ministros pri-
matum aut dominationem obtine-
bit, sed æqualiter Ecclesiasticum
onus ferent.
- XV. Si minister in S. hoc munere se
non condigne gesserit, adeo ut in-
famiam

famiæ notam sibi inusserit, à ministro suspendatur vel deponatur, idque Magistratus consensu.

De Doctõribus & Scholis.

Hæc Ecclesiarum sit cura, vt in Academia sint Doctores Theologiæ, eruditionis & pietatis nomine præstantes. I.

Habeat vnaquæque Ecclesia ad erudiendam iuuetutem suos Scholarchas. II.

Præscribat Ecclesia Scholarchis, preces in Scholis concipiendas, & libros ad institutionem puerilem maxime idoneos. III.

De Senioribus.

Eligantur Seniores à verbi ministris & conuentu Ecclesiastico, cum ieiunio & oratione ad Deum, & confirmentur in Ecclesia consuetis interrogationibus. I.

Munus Seniorum est: I. Cum verbi ministris gregi inuigilare, II.
2. Ec.

2. Ecclesiæ membra inuifere. 3. Ægros consolari. 4. Scandala ad confistorium deferre. 5. Cum verbi ministris de scandalis iudicare, & quantum poterunt, ex Ecclesia tollere.

II. Numerus Seniorum sit pro arbitrio & necessitate cuiusque Ecclesiæ.

IV. Seniores electi ex Ecclesiæ consuetudine, nunquam illud in se recipere non recusent, nisi grauis subsit cautela.

V. Singulis annis media pars Seniorum Electione renouabitur a :
*Syno-
 dus Ru-
 pell.* quamuis magis è re Ecclesiæ esset in prædicto munere continuatio, siquidem commode id fieri posset.

De Diaconis.

I. Diaconi sunt eligendi & confirmandi eo modo quo Seniores.

II. Diaconorum munus est. i. Elemosinas & alia pauperum bona diligenter

Æ- ligenter colligere. 2. fideliter & di-
con- crete distribuere. 3. Pauperes & æ-
mi- gros amanter inuisere & consolari.
, & 4. Ne inutiliter Eleemosynæ consu-
tol- mantur prospicere vigilanter.

Collectæ & expositæ pecuniæ III.
Rationem singulis mensibus co-
ram Synedrio Ecclesiastico red-
dent.

Mulieres ætate prouectæ, spe- IV.
ctata fide ac probitate ad hoc etiam
munus Apostolorum exemplo re-
cte adscisci possent.

*De Prophetia. Ex Synodo
Embdana.*

In omnibus Ecclesiis siue nascent- I.
tibus siue vegetis, Prophetiæ ordo
ex Pauli instituto obseruetur.

Ad hoc collegium cooptentur, II.
non modo ministri, sed etiam Do-
ctores, ac ex Senioribus & Diaco-
nis, atque adeo ex ipsa plebe, si qui
sint qui donum suum à Domino
acceptum in communem Ecclesiæ
vti-

utilitatem conferre velint: Ita tamen vt prius ministrorum atque aliorum probentur iudicio.

- III. In hoc Collegio ad ædificationem omnium liber aliquis Scripturarum rato ordine explicetur. Vbi autem is, cuius erunt partes, vices suas expleuerit, licebit iis qui subsellis eum insequuntur, siquidem visum erit, adiicere quod ad ædificationem pertineat; Ac tum demum, concepta oratione, ab eo, cuius erunt partes, cætus claudatur.
- IV. Prophetandi forma, quæ quæstionibus & responsionibus constat, à Pauli instituto est aliena, & simultarum contentionumq; sæpe est occasio.

De Ecclesiasticis Conuentibus.

- I. Ecclesiasticus conuentus est quadruplex. 1. Cuiusque Ecclesiæ Consistorium. 2. Classis. 3. Synodus
Pro-

Prouincialis. 4. Synodus Nationalis.

Hi Conuentus oratione ad Deum II.
inchoentur, & gratiarum actione
terminentur.

In hisce conuentibus nil nisi res III.
Ecclesiasticæ tractentur, idque Ec-
clesiastico modo.

De Consistorio.

Vnaquæque Ecclesia suum ha- I.
beat Consistorium, ex verbi mini-
stro vel ministris, & Senioribus di-
ctæ Ecclesiæ consistens; qui singu-
lis septimanis ad minimum semel
conueniant, ad res incidentes per-
tractandum.

Verbi ministri per vices præside- II.
ant, designetur Scriba, qui notatu
digna scripto consignet.

Sint etiam in Ecclesia libri char- III.
tacei, in quibus scribantur nomina
eorum, qui Sacro baptismo tin-
guntur, nec non parentum & patri-
morum nomina. Item eorum, qui
nomen

nomen dant Ecclesiæ, matrimonio iunguntur, & moriuntur.

IV. Præsidis officium est. 1. Ex ordine sententias rogare. 2. Loquacibus silentium imponere. 3. Et ex collectis suffragiis res concludere.

V. Ecclesiæ membra quæ alio se conferre volunt à Consistorio testimoniales literas petant.

VI. Quod in Consistorio commode terminari non potest, ad Classicum conuentum deferatur.

Classis.

I. Classicalis Conuentus consistat ex verbi ministris, & Senioribus vicinarum aliquot Ecclesiarum.

II. Fiat initium ab oratione ad Deum, per ministrum qui præsederat conuentui præcedenti, vel per pastorem loci.

III. Oratione finita fiat Electio Præsidis & Scribæ, secretis suffragiis.

IV. Præsidi tradantur literæ missionis vel testimoniales cuiusq; Consistorii,

istorii, legantur Acta præcedentis Colloquii, & tempus locusq; conuentui designetur.

Huic conuentui, ministris & Senioribus etiam non designatis interesse liceat, & sententiam dicere, V.

Interim designatorum sententiæ, suffragii vim tantum obtineant.

Quod in conuentu Classicali non commode decidi non potest, ad Synodum Prouincialem defera-

Synodus Prouincialis:

Synodus Prouincialis est conuentus vicinarum Classium. I.

Ex vnaquaque Classe duo ministri & Seniores duo designentur, qui singulis annis ad minimum sepe conueniant. II.

Qui superiori conuentui præsit, aut qui Loci est Pastor, preces incipiat ad Præsidis, Assessoris & Tribus electionem. III.

Præsides electus i. Habebit preces IV.

B ad

ad totam actionem accommodatas. 2. Literas testimoniales postulat. 3. Suffragia colliget. 4. Maioris & sanioris partis sententiam exponet. 5. Eam Scriba excipiet; exceptam diserte leget, ut omnium calculis probetur. 6. Omnes sessiones gratiarum actione claudet.

V. Quæ ad doctrinam primum, deinde quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinebunt, distincte scriptis consignabuntur, & legentur.

VI. Præsidis officium est: 1. Tubere ut quisque ordine suo loquatur. 2. Silentium contentiosis & acrioribus imperare. 3. Nisi taceant ut egrediantur præcipere, & fratrum iudicio condigne reprehendere.

VII. Totius conuentus Prouincialis consensu eligitur Ecclesia proximo conuentui commoda.

VIII. Absolutis Synodi negotiis, celebrabitur Sacra Cœna inter ministros & Seniores, qui ad Synodum

con-

conuenerunt, & Ecclesiam loci in quo collecta est.

Ecclesiæ, in qua Synodus habetur, cura incumbet, ut ad proximam Synodum acta seu constitutiones illius Synodi mittat vel adferat. IX.

Quod in Synodo Prouinciali commode decidi non poterit, ad Synodum Nationalem deferetur. X.

De Synodo Nationali.

Synodus Nationalis est conuentus à Belgii Prouinciis designatorum. I.

Eadem in hac Synodo, ut supra, est obseruanda ratio. II.

Vnaquæque Prouincia ad Synodum mittet duos verbi ministros, & Seniores duos. III.

Aderunt etiam ab Ecclesiis Belgii Wallonicis deputati. IV.

Quin etiam summi magistratus delegati sunt postulandi, ut in

ipsorum præsentia eorumque suffragio Synodi acta concludantur.

VI. Hoc autem si fieri potest, agendum est, ut singulis trienniis dicta Synodus celebretur.

VII. Et ut rite instructi veniant designati, vnaquæque Prouincia tempestiue monebitur.

De Exercitiis Ecclesiasticis in sacro conuentu peragendis.

I. *Letitio.* Cultus diuinus in Ecclesia à lectione vnius aut alterius Capituli ex Scriptura incipiendus est.

II. Fiat hoc per Seniores vel Diaconum, vel alium quemuis ad hoc ab Ecclesia constitutum.

III. *Concio.* Concio sacra à Psalmorum cantu, & precibus ad Deum deuotis initiabitur.

IV. Utile erit certum Sacræ Scripturæ librum ordine pro concione explicare, idque ex Synedrii consilio.

V. Conciones funebres nusquam introducendas, & vbi in usu sunt
com-

commode tollendas censet Synodus.

Concionibus nimis prolixis auditorum memoria ne oneretur, sed (si fieri potest) ad vnius horæ spatium sermo temperetur. VI.

In Cantu Ecclesiastico retinebuntur Psalmi à Petro Datheno *Psalmi.* cōuersi per omnes Belgii Ecclesias. VII.

Vtile erit aliquem designare cantorem qui populi cantum moderetur, & in Psalmodia præeant. VIII.

In Ecclesiæ cuiusque arbitrio erit, Psalmos ordine continuo, vel pro re nata decantare. IX.

In hebdomade dies, pro cuiusque Ecclesiæ cōmodo solennibus precibus consecrabitur, quo publica ac submissa peccatorum pro populo fiat deprecatio ante vel post concionem. X.

Minister preces vel dictante Spiritu, vel certa sibi proposita formula concipiet. XI.

Tempore Belli, famis, Pestis, XII.

B 3 Per-

Ieiunia Persecutionis & afflictionis grauioris dies ieiunii publice Domino sanctificabuntur, Magistratus auspiciis & consensu.

XIII. *Catechesis.* Catechizandi consuetudo ab Apostolis accepta in omnibus Ecclesiis obseruanda censetur.

XIV. Belgicis Ecclesiis commendatur Heydelbergensis formula, vt cum Ecclesiis Germanicis vnanimis & Christiana declaretur consensio.

XV. In explicanda Catechesi sermone familiari & ad iuniorū captum accommodato est vtendum.

XVI. Parentes & Scholarchæ sunt monendi, vt domi & in scholis iuuentutem diligenter in Catechesi instituant, & simul ac ætas liberorum patitur Ecclesiæ catechizandos offerant.

De Sacramento Baptismi.

I. Sancti Baptismi Sacramentum, non ab alio quam à verbi ministro rite conferri posse censetur.

Hoc

Hoc gratiæ sigillum ad Christia- II.
 norum liberos spectat, eoque sine
 diuturniori dilatione Ecclesiæ si-
 stentur baptizandi.

Initio nascentis Ecclesiæ infir- III.
 morum habenda est ratio, eoque
 ad evitandum scandalum pueros
 valetudine adfectos domi bap-
 tizare licebit, præsentibus vt mini-
 mum quatuor aut quinque fide-
 libus.

Administretur baptismus forma IV.
 vsitata, & in Ecclesiasticis constitu-
 tionibus expressa.

Vnica vel trina tinctio censerur V.
αὐτὴ φορὰ.

Parentes & Testes, qui ad ba- VI.
 ptismum pueros adferent, iis ver-
 bis, quæ in forma Baptismi expressa
 sunt, interrogabuntur.

Curandum est vt testes sint iustæ VII.
 ætatis & sanæ Religionis.

Infantibus non sunt danda no- VIII.
 mina Diuina, Barbara, Superstitio-
 sa, sed in sacris literis (quantum fieri

potest) expressa, & à sanctis visita-
ta.

IX. Nomina Infantum, Parentum ac
Testium publicis tabulis consigna-
ritum Ecclesiæ tum Reipub. con-
ducat.

X. Si adultus nondum baptizatus
baptismum postulet, is prius publi-
cam confessionem fidei suæ reddet
in Ecclesia.

De Sacramento Cœnæ

Dominicæ.

I. Sacra Domini Cœna à folis verbi
ministris est administranda.

II. Cœnæ celebrandæ tempus ante
quartum decimum diem ad popu-
lum referri iudicatur utile: tum vt
Ecclesiæ membra se mature præpa-
rent; tum vt Seniores suas vices ob-
eant, & infirmiores moneant &
consolentur.

III. Nemo ad Cœnam Dominicam
admittatur, nisi qui fidei confes-
sionem ante reddiderit, & disciplinæ

Ec-

Ecclesiasticę se subiecerit, & vitę in-
culpatę testes fideles produxerit.

Sub vtraque specie Panis sc. & IV.
vini S. Cœna est celebranda.

Panis sit communis, non pecu- V.
liaris quis azymus, aut qui supersti-
tionem resipiat.

Fractio panis (quia à Christo VI.
manifeste est instituta, ab Apostolis
totaque Ecclesia vetustiori obser-
uata) necessaria omnino censetur.

Verba S. Cœnæ Christi præcepto VII.
& Apostoli Pauli declaratione con-
sentanea sunt retinenda.

Liberum est stando, sedendo vel VIII.
eundo Cœnam celebrare, non au-
tem geniculando ob ἀρτολατρίας
periculum.

Vtile erit tunc pro concione de IX.
S. Cœna argumentum tractare, à
Concione formulam constitutam
Ecclesię prælegere, & dum Cœna
celebratur S. Scripturam legi, vel
Psalmos decantari.

Ecclesię Belgicę in Pace consti- X.
tutę

B s

tutæ singulis bimestribus Cœnam celebrabunt, quod liberum relinquitur Ecclesiis sub cruce gementibus.

XI. Ante Cœnæ Dominicæ diem fiat concio præparatoria, & à concione inter Ministros, Seniores & Diaconos fraterna exerceatur Censura.

XII. Si quis literis testimonialibus ab alia Ecclesia venerit, sine confessione fidei iterata admittendus est.

De Disciplina Ecclesiastica.

I. Vigilandum est ne vlla Ecclesia, neglecta Ecclesiastica disciplina, instituatur.

II. Necessitas disciplinæ docetur ex Domini nostri instituto, ex Apostolorum & vetustioris Ecclesiæ usu, & quotidiana rerum experientia.

III. Constat autem Disciplina, tum in Censura doctrinæ, tum in legitima morum correctione, id est, in iusto

iusto clauium à Domino Ecclesiæ
datarum vsu.

Hæc Censura & Correctio ne- IV.
quaquam delinquentem liberat, à
Ciuili iudicio, & Magistratus gla-
dio.

Si quis in Doctrinæ puritate siue V.
morum sanctitate peccauerit, si oc-
cultum id sit, & à Scandalo publi-
co remotum, obseruabitur Regula
quam præscribit Christus, Matth.
18. nisi sit in casu proditionis aut
perniciæ publicæ.

Si priuata admonitione fratrem VI.
lucratus es, noli eius crimen ad
Consistorium deferre. Sed si duos
aut tres fideliter admonentes non
audierit, deferatur, vt in viam redu-
catur.

Peccata sua natura publica, aut VII.
per admonitionis priuatæ contem-
tum publicata, ex Consistorii toti-
us arbitrio, modo & forma ad ædi-
ficationem maxime accommoda-
tis sunt corrigenda.

B 6

Qui

VIII. Qui pertinaciter Consistorii admonitiones reiecerit, à S. Cœnæ communionem suspendetur.

IX. Si suspensus post iteratas admonitiones nullū pœnitentiæ signum dederit, ad Excommunicationem procedet Ecclesia.

X. Processus autem ad Excommunicationem hic erit.

1. Minister è suggestu (peccatoris nomine occultato) quid cum graui quodam peccatore actum sit, significabit, & Ecclesiam, vt pro peccatore impœnitente sedulo oremonebit.

2. Peccatoris impœnitentis nomen pro Cætu publicabit.

3. Significabit nisi resipiscat, Excommunicandum esse.

4. Si ne sic quidem ad resipiscenciam adduci potest, coram Ecclesia pertinacis eiusmodi peccatoris, à corpore Ecclesia fiet Excommunicatio & abscissio.

5. Monebuntur fideles ne familiarem

liarem & non necessariam cum excommunicato consuetudinem habeant, sed eius consortium vitent, hoc præcipue consilio, vt pudore suffusus Excommunicatus de resipiscentia serio cogitet.

Qui graua & Ecclesiæ probrosa XI.
cōmisit peccata, etiamsi verbis penitentiam testetur, à Cœnæ tamen communionem aliquot vicibus pro Consistorii arbitrio suspendetur.

In recipiendo excommunicato XII.
setio resipiscente, ea obseruanda est ratio, quæ ad cuiusque Ecclesiæ ædificationem maxime faciet.

Si minister, Senior aut Diaconus XIII.
publico alioquo crimine (quod Deus auertat) se contaminauerit, ab officio erit mouendus: Si autem crimine aliquo occulto teneatur, à Classico conuentu Censuram expectet: pro criminis magnitudine vel leuitate.

Crimina quæ in ministris nequa- XIV.
quam tolerari debent, ea fere sunt

hu-

huiusmodi, Hæresis, Schisma, Manifestus ordinis Ecclesiastici contemptus; Blasphemia manifesta & animaduersione ciuili digna, Simonia, inhonestus ambitus ad alterius locum iuuadendum, Desertio sui muneris suæque Ecclesiæ sine legitimo consensu: Crimen falsi, Periurium, scortatio, furtum, Ebriositas, vis armata, omnisque vis correctione ciuili digna; scenus illicitum; Alea, cæterique ludi inhonesti, ac legibus interdicti: Manifesta affectatio tyrannidis in Ecclesiam ac Collegas, cæteraque alia huiusmodi, quæ vel inurunt infamiam, vel separationem ab Ecclesia merentur.

XV. Delicta quæ quidem tolerantur, sed tamen reprehensioni & censura sunt obnoxia, ea fere sunt eiusmodi, inanis quædam questionum inutilium curiositas: ingenii ostentatio intempestiuis allegoriis: in scripturarum studiis remissio:

missio : nouarum consuetudinum
 quarundam pro libidine introdu-
 ctio : facetiæ indecoræ : verbum
 contumeliosum : temeritas : inanis
 gloriolæ cupiditas : plus æquo a-
 cres obiurgationes, &c. quæ verbi
 diuini Ministrum dedecent.

In leuioribus vitiis quæ ne iudi- **XVII**
 cio quidem confessus digna vide-
 buntur, seruetur ea quæ est in cæte-
 ris omnibus à Christo præscripta
 ratio.

Vt hic Censuræ ordo commo- **XVIII**
 dius obseruetur, vtile erit in binos,
 vel vt minimum in ternos menses,
 Classis cuiusque conuentum habe-
 ri, in quo de huiusmodi rebus dili-
 gens fiat exploratio.

Classis conuentus non semper **XIX**
 vno est habendus loco : tum vt
 Ecclesiarum alterius in alteram
 dominatus impediatur, tum ve-
 ro vt singularum Ecclesiarum
 exploratio fiat diligentior, de
verbi

verbi doctrina, vita, Ceremoniis ac
disciplinæ ratione.

De Matrimonio.

- I. Matrimonium initiari debet in-
ter marem & fœminam ætatis iustæ
ex Rei. legibus. 2. Consensu mutuo
& Parentum, Tutorû vel aliorum,
quorum interest. 3. In præsentia mi-
nistri verbi, nominis diuini inuo-
catione. 4. Verbis de præsentis &
obligatoriis, quæ omnes excludunt
conditiones.
- II. Claustrina promissa, & contra
voluntatem Parentum præstita, il-
legitima sunt & nullius valoris.
- III. Verbi minister ab initiandis in
matrimonio interrogabit. 1. An sint
ab omni promissione liberi. 2. An
parentes consentiant. 3. An non
sint consanguinei. 4. An sint Eccle-
siæ membra, aut saltem reformatæ
religioni addicti, eoque Ecclesiæ
nomen dabunt.
- IV. Si parentes Religionis odio, aut
aliis

aliis de causis iniustis se difficiles
præstiterint, penes Consistorium e-
rit, aut Magistratum, rem explorare
& diiudicare.

Peregrini & ignoti in matrimo- V.
nio non sunt initiandi, nisi prius le-
gitimo testimonio probent se ab
omni promissione aliena esse libe-
ros. Si pars alterutra vel vtraq; ante
matrimonio iuncta fuerit, de mor-
te priorum coniugum testimoni-
um exhibebit legitimum.

Sponsalia legitime contracta ne VI.
vtriusque quidem partis consensu
dissolui poterunt.

Matrimonio coniungendorum VII.
nomina Tabulis publicis confi-
gnabuntur, & trinis diebus Domi-
nicis, aut alioquin per tres vices iu-
stis interuallis pro concione eden-
tur, iis imprimis locis vbi habitant
& noti sunt.

Quo vis die matrimonia confir- VIII.
mari & celebrari poterunt, modo
concio ad populum habeatur, ex-
ceptis.

ceptis Cœnæ diebus, & ieiunio sacratis.

IX. Si matrimonii vinculum adulterio fuerit ruptum, vt partium fiat reconciliatio serio est laborandum: Quod si frustra tentetur, & pars innocens alio velit iungi matrimonio, declarabit Synedrium (vbi adulterium coram magistratu fuerit probatum) ex verbi Dei norma illud ipsum esse legitimum.

X. Viduæ (imprimis iuniores) ante quartum cum dimidio mentem nouo non iungantur coniugio: postulat autem hoc necessitas & muliebris verecundia.

Conclusio.

Articuli hi ad legitimum Ecclesiæ ordinem spectantes, ita mutuo consensu sunt constituti, vt si utilitas Ecclesiarum aliud postuler, mutari, augeri & minui possint & debeant.

Non erit tamen priuatæ alicuius
Ec-


Belgicarum.


43


Ecclesiæ id facere, sed dabunt omnes operam, vt illos obseruent, donec Synodo aliter constitutatur.

F I N I S.

Johann Hesselein







Harmonia
Synodorum Belgicarum,
 SIVE
CANONES
ECCLESIASTICI,
EX QUATVOR SYNO-
dis Nationalibus in Belgio
à reformatione cele-
bratis,
BREVITER IN ORDI-
nem digesti,
 Per
 S. R.
 ☉ (?) ☉
 PRODEVNT,
 Sumptibus Hulfianis.
 ANNO M.CC.XVIII.

